

moribus, & vita, sanguinis puritate, officiorumque vilium exemptione; quæ juxta Bullas Apostolicas tam communes quam speciales nostro Ordini concessas, Professionem cujuslibet Novitii præcedere debet, imposita pœna privationis vocis activæ & passivæ, omniumque officiorum, graduum, honorumque & dignitatum, quæ habuerint, & inhabilitatis perpetuæ ad hæc & alia imposterum obtinenda tam Prioribus quam Monachis, Novitium ad Professionem recipientibus, nisi dicta informatio præcedat.

Monachus iste sic nominandus nequeat esse consanguineus, affinis, aut aliquo modo propinquus Novitii, nec ejusdem Patriæ oriundus, aut naturalis; sitque præterea liber ab omni suspitione & præsumptione puritatis sanguinis, aut cujusvis affectionis, amoris vel odii, amicitia vel inimicitia, tam cum Novitio quam cum suis Genitoribus & Consanguineis; omninoque teneatur in ejus executione servare formam in nostro Ordinario descriptam, sub pœna privationis omnium officiorum Ordinis, inhabilitatisque imposterum ad illa obtinenda.

Prior dare debeat suum mandatum & commissionem ad faciendam prædictam informationem simul cum Regio Privilegio nostro Ordini concessa, ut Testes ad testificandum compelli possint; & insuper tradat notulam nominum & cognominum tam Novitii quam suorum Genitorum & Avorum, Villarumque, ubi vivunt vel vixerunt, & officiorum, quæ exercent vel exercuerunt, fideliter extractam ex responsis Novitii in summario notatis, dum examinatus est ad primam receptionem. Juret insuper dictus Monachus, antequam exeat a Monasterio coram Priore & Deputatis in verbo Sacerdotis, se dictam informationem recte & fideliter facturum secundum nostri Ordinis statuta & instructionem. Et cum redierit ad Monasterium ita a se factam informationem coram ipsis Priore & Deputatis similiter juret: vel secundum stylum & instructionem completa informatione ad pedes illius juramentum hujusmodi faciat & subscribat.

Caveat diligenter Monachus deputatus, quod in hujusmodi informatione facienda instructionem solitam & usu receptam ad unguem profusus servet; & antequam ad publicam procedatur, fiat omnino secreta inter personas antianas & integræ fidei, nulliusque suspitionis, ut in instructione præscribitur, omni adhibita cura & indagine pro compedienda veritate ab illis, sub sigillo secreti promissione. Si in hac informatione secreta aliquem defectum substantialem repererit, sive in Novitio sive in ejus Descendentibus, duorum Testium omni exceptione majorum juramento comprobatum, ratione cujus Novitium ad Professionem admitti non possit, ad informationem publicam nullatenus procedat; sed secreto ab Oppido vel Villa discedens, illum defectum Priori quamprimum notificet. Prior vero cum cauthela possibili & secreto servato Novitium Habitu expoliari, & a Monasterio expelli prudenter curet, ne ejus Familia expulsionem diffametur.

Sin vero nullus defectus in secreta informatione a dicto Monacho inventus fuerit, statim procedat ad publicam coram Jure & Notario fideli & legali, quam factam & peractam a Jure petat sibi originaliter consignari, juxta Regium Privilegium ad hoc specialiter Religioni concessum, ne aliquod damnorum Testibus imminet, cujus timore a deponenda veritate retrahantur. Consignatam informationem in forma authentica vel secum adducat, vel Priori cum certo Nuntio statim ad Monasterium remittat, ubi a Priore & Deputatis diligenter examinetur, & quatenus de illius legitimitate constet, ab illis approbetur subscribaturque ab omnibus approbationis Decretum, & ante Professionem Novitii Prior Capitulo notificet, qualiter facta examinata & approbata fuerit ejus informatio; postea in Archivo Conventus custodienda reponatur, ut in Constitutione Gregoriana ordinatur.

Postquam omnia prædicta fuerint absoluta, annusque probationis terminatus, Novitium ad Professionem solemnem, ut in nostro Ordinario Cap. 11. §. 4. sine dilatione admittatur; & ad majorem cauthelam, prout hucusque inviolabiliter observatum fuit, in literis suæ Professionis a Novitio illam emittente fiat sequens Protestatio: Ego Fr. N.N. attestor & profiteor, quod sum Christianus vetus ex omnibus quatuor lineis, & quod semper ac constiterit contrarium; & me habere aliquam maculam seu infectionem Judeorum, Maurorum, Saracenorum, seu quodvis aliud impedimentum contra Bullas Apostolicas Ordini Sancti Patris Nostri Hieronymi concessas, expelli volo a dicto Ordine, expoliarique illius Habitu, & quod hæc Professio a me facta invalida sit, & nullius effectus. Subscribaturque a Novitio coram Testibus.

Insuper quilibet Prior cum Deputatorum consilio eligat in Magistrum Novitiorum Monachum prudentem, expertum, quindecim saltem annos a receptione Habitus habentem, quique de Religionis zelo, morum honestate, vita exemplari, spiritualiumque discretionem sit optime commendatus, cujus directioni correctioni & disciplina tam Novitii quam Professus usque ad expletos septem Habitus annos omnino subjiciant; Prioresque dicto Magistro omnem auctoritatem necessariam concedant & committant, ut ab omnibus sub disciplina ejus existentibus obediatur veneretur & simul timeatur; eosque omnino instruere, educare, & in spiritualibus juxta statuta Ordinis dirigere possit.

Nullus præterea Monachus, ad hujusmodi Magistrum Novitiorum munus electus, sine legitima causa a Priore approbata se excusare & eximere possit; & si aliquis sine dicta causa se excusaverit, & acceptare renuerit officium hujusmodi, ad Prioris arbitrium puniatur. Prædicto etiam Magistro nullum detur officium cum proprio munere incompossibile, quodque sive in Novitiatu sive in Choro sive in Refectorio a suo munere impedire aut divertere aliquo modo possit; nec ad aliud in Tabellis deputetur communibus, quam ad hebdomadam, lectionem, pluvialeque

Protestatio faciendâ ante Professionem.

De Magistro Novitiorum.

Ejus Privilegia.

Officium Magistri Novitiorum.

que pro Celebranti comitando; Torumque tempus, quo dicti Magistri munus exercuerit supra annos a receptione Habitus completos, ad lucrandam exemptionem triginta annorum ipsi pariter computetur.

Caveat autem prædictus Magister, ut in educatione Novitiorum, & sub ejus disciplina existentium, illorumque correctionem, instructionem in nostro ordinario Cap. 11. præscriptam & laudabiles Monasteriorum consuetudines omnino servet. Attendat etiam, ne qui sunt in Novitiatu, ullum commercium conversationem seu communicationem, nisi præcise in necessariis breviter expediendis, cum Monachis extra existentibus habeant; & si qui in hoc fuerint delinquentes, graviter puniat. Super quo maxime etiam invigilent Priores, Vicarii, & Præfidentes, Monachos extra Novitiatum, qui in prædictis defecerint tale commercium vel communicationem habentes, pariter corrigendo. Eorum nullus ad Novitiatum accedere vel ingredi valeat, nisi de Magistris vel Prioris licentia; Idemque observetur in communi dormitorio, ubi & quando Novitii dormiunt, seu in quolibet alio loco, ubi sub disciplina Magistris existentes fuerint congregati.

Curet proinde, ne in Novitiatu existentibus aliquod consignetur officium, in quantum commode fieri possit, quod illis distractionis seu diversionis occasio sit, seu causa esse possit commercii & communicationis cum Monachis extra disciplinam existentibus; multoque minus cum Sæcularibus, & cum recreationis causa in Hortos vel in Campum sub disciplina ejus existentes egrediuntur, cum ipso Magistro, vel eo impedito, cum alio Monacho de Prioris licentia, simul procedant & permaneant; nec ullus Monachus extra disciplinam ipsis associetur.

Inviolabiliter præterea observet laudabilem diurnam consuetudinem Ordinis, videlicet, quod singulis feriis sextis anni cum omnibus, qui sub ejus disciplina existant, faciat disciplinam sive in dormitorio communi sive in alio loco opportuno, ut alii etiam Monachi, si ex devotione velint, hujusmodi exercitio assistere valeant.

Modo & forma prædictis Fratres Laici etiam ad Habitu & Professionem recipiantur sub disciplina Magistris per septem annos existant, quibus in observantiis Ordinis & officii servitutis, ob quæ recepti fuerint, a Magistro instruantur; profususque perseverent in statu suæ vocationis. In singulis vero Monasteriis in tali competenti numero admittantur, ut ab officiis servitutis, & temporalibus Monachi omnino liberi cum majori mentis tranquillitate divinis possint vacare.

Priores vero & Magistri maximopere caveant, ne aliquis Frater Laicus post receptionem Habitus legere, & multominus Grammaticam discat, nec illum aliquis Monachus sive Frater legere vel Grammaticam docere audeat; & qui secus fecerint, Novitiorum habitum per annum portent, nisi qui, ipsum docuerit Monachus, in Sacris constitutus existat; quo casu per dictum annum voce Capitalari privetur: In qua pœna nullus Prior dispensare possit.

De Fratribus Laicis, eorumque numero.

Quod nec legere, nec Grammaticam possint ediscere.

Denique Fratres Laici singulis diebus post prandium & coenam cum his, qui sub disciplina Magistris existunt, ad mensas Refectorii extergendas intervenire teneantur, donec viginti annos Habitus compleverint; Prioresque non permittant Sacerdotibus eos nimia reverentia & honore tractare; nec alio nomine vocari quam Fratrum: quod ipsum servetur cum aliis, qui Presbyteri non existant.

De eorum officio.

CONSTITUTIO XL.

De Tempore, quo durare debet Novitiatu, & dispositione bonorum Novitii.

§. 243. Nullus Novitius admittatur ad Professionem, nisi de rebus suis antea disponat juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini Cap. 16. sess. 25. de Regular. donando inter vivos Monasterio vel aliis Personis aut locis ad placitum, nihil sibi omnino reservans, ut spiritus ejus Christum sequatur liberius, a terrenis oneribus & eorum fiducia expeditus. Nec recipiatur cujusquam Professio ante annum probationis expletum.

Novitii non admittendi nisi post factam de bonis dispositionem.

Extravagans I.

§. 244. Non recipiantur ad Habitu illi, qui non habuerint decem & octo annos completos, quia in ætate minori non possunt cogitare adeo perfecte statum, quem assumunt. Cum Personis tamen, quæ speciale meritum habent, poterit Prior cum suo Capitulo dispensare, ut ipse ad Habitu admittantur ante dictam ætatem; dummodo tamen Professio non recipiatur ante decimum sextum annum expletum, juxta Sacri Concilii Tridentini dispositionem Cap. 15. sess. 25. de Regul.

De ætate requirenda in recipiendis.

Extravagans II.

§. 245. Noviter Professus, saltem per septem annos ab Habitu receptione completos, sub disciplina Magistris Novitiorum subiecti perseverent, ut ex inviolabili praxi Ordinis in nostro Ordinario statuitur. Si autem in aliquibus Monasteriis vigeat consuetudo, ut longiori tempore Magistris disciplinae subjiciantur, penitus observetur. Neque expleto dicto tempore a dicta disciplina liberentur, donec Priores de consilio suorum Magistrorum, (absque tamen illorum aliqua hujusmodi liberationis præensione) ipsis libertas concedatur. Si qui vero a dicta disciplina absolvi directe aut indirecte procuraverint, subiectio sub Magistro illis ipsomet facto ulterius prolongetur.

De tempore Novitiatu.

CONSTITUTIO XLI.

De Præcedentia & ordine sessionum inter Monachos.

§. 246. Præcedant Monachi in Sacris constituti in quibuscumque locis cæteros Monachos suos. Verumtamen inter prædictos constituti

stitutos in Sacris Ordo præcedendi minime observetur. Idem quoque inter ceteros Monachos Clericos & Laicos observetur.

Extravagans I.

Locus sessionis Correctoris.

§. 247. Quando Corrector Mensæ fuerit Hebdomadarius, in loco Correctoris sedeat, & aliunde corrigere aut emendare non valeat.

Extravagans II.

Sessiones Correctorum ab antiquitate habent ordinande.

§. 248. Ubi cumque Conventus se congregaverit, juxta antiquam Religionis nostræ consuetudinem Monachi sedeant & ordinentur secundum singulorum antiquitatem ab Habitu recepto: Ita tamen, ut Sacerdotes semper Diaconos, & isti Subdiaconos, licet Habitu antiquiores, præcedant: Subdiaconi Choristas: Choristæque Fratres Laicos: & Novitii sint omnium novissimi: Sin vero aliquis Monachus, postquam alii jam fuerint ordinati, adveniat, in loco, quem invenerit vacuum, constitui & sedere debeat.

Extravagans III.

Præcedentia Prioris, & Officialium.

§. 249. Priores absoluti Monasteriorum Professionis omnes alios Monachos præcedant, etiam antiquiores, qui Priores non extiterint, quos pariter præcedere debeant Secretarius & Procurator Generalis Ordinis actuales, quandocumque in nostris Monasteriis interveniant, non vero dictos Priores absolutos.

CONSTITUTIO XLII.

Quando Monachi habere debeant votum in eorum Capitulo.

Ad Actus Capitulares profecti tantumdem admittendi.

§. 250. Ad Capitulares actus non recipiantur, nisi Monachi Professi in Sacris Ordinibus constituti.

Extravagans I.

Votum non nisi in electionibus pro Monasterii Professionis validum.

§. 251. Monachi propter eorum demerita transmissi ad alia Monasteria, necnon qui sunt Priores in Monasteriis, quæ non sunt eorum Professionis, quamvis sint intra viginti quinque leucas, non habeant vocem in electionibus Monasteriorum, ubi sunt professi: nec Monachus, qui est Vicarius Monasterii, cujus non est professus, habeat votum in electione Prioris illius. Votum tamen habebit in electione Prioris Monasterii suæ Professionis: & si fuerit intra viginti quinque leucas, etiam ad electionem citari debeat. Itidem Monachi, qui sunt in Monasteriis novis, habeant votum in electione Prioris sui proprii Monasterii, ad eamque citari debeant, si existant intra viginti quinque leucas, nisi forte fuerint poenitentiat.

Extravagans II.

§. 252. Monachi, qui in aliis Monasteriis obedientiam perpetuam repromittunt, non

habeant votum in Capitulo ante quatuor annos completos a die repromissæ obedientiæ: Exceptis Prioribus, qui terminato Prioratu remanent perpetuo in aliis Monasteriis, ubi Priores extiterunt, atque Monachis illis, qui in Domibus novis permanfuri obedientiam perpetuam pariter repromittunt.

Extravagans III.

Vocem in Capitulo nemo habeat, nisi post decem annos Habitum.

§. 253. In posterum nullus Monachus habeat vocem in Capitulo, donec decem annos ab Habitu recepto compleverit, atque in Ordine Sacro constitutus extiterit. Collegiales tamen in Collegiis existentes, si sint in Sacris constituti, in dictis Collegiis votum habeant post sex annos ab Habitu receptione completos.

Extravagans IV.

Monachi extra Monasterium manentes neutra suantur voce.

§. 254. Monachi illi, qui habitu etiam retento, & cum legitima facultate assistunt eorum Genitoribus, aut alicui Episcopo, sive ex alia quacumque causa, Habitu retento, permanent extra Monasterium, non habeant votum activum neque passivum, etiam si temporis electionis sint præsentem in proprio Monasterio.

Extravagans V.

Qui vocari debent ad electionem Prioris sui Monasti.

§. 255. Monachi, ultra viginti quinque leucas a propriis Monasteriis cum simplici patente Patris Generalis commorantes, nisi exiliati, aut legitime poenitentiat existant, votum habeant, tamquam Vocales legitimi, in electione Prioris proprii Monasterii: Ad quam concurrendi atque accedendi licentia ipsis minime denegetur, neque ullatenus impediatur, habita vacationis notitia. Ad prædictam tamen electionem, citari non debeant, nisi Vocales intra viginti quinque leucas existentes, ut in Constitutione 70. ordinatur: Exceptis tamen PP. Secretario & Procuratore Generalibus, atque Monachis assistentiæ Patris Generalis, Prædicatoribus Regiæ Majestatis, Lectoribus & Passantibus, qui in qualibet distantia prorsus citari debent.

Extravagans VI.

Qui vero vocem habere nequeant in Capitulo.

§. 256. Monachi, propter eorum demerita & culpas ad carcerem, seu reclusionem in Cella horis vacativis, etiam in propriis Monasteriis per sententiam diffinitivam condemnati, nullam vocem in Capitulo habeant: & si ad actus Communitatis ex reclusionem egrediantur. Monachi vero, inquisiti de aliquo crimine, atque dum compilatur processus: carcerem custoditi, vocem activam in Capitulo habere debeant, donec illis auditis, causa diffinitive terminetur: nisi inquisitio fuerit de aliquo delicto facinoroso, vel culpa graviore publica & manifesta, seu alia, cui in nostris Constitutionibus & Extravagantibus privatio vocis Capitularis ipso facto fuerit imposta: quibus casibus omni voce Capituli prorsus careant.

Extra-

Extravagans VII.

Monachi extra sua Monasteria commorantes non habeant vocem nisi in electione Prioris.

§. 257. Monachi extra propria Monasteria in aliis commorantes, ad electionemque Prioris suorum Monasteriorum accedentes, peracta electione & confirmatione Prioris, redeant ad Monasteria, ubi prius morabantur nec vocem habeant in aliorum officiorum electione, sicut jam diu in nostra Religione observatum fuit.

CONSTITUTIO XLIII.

Quod Fugitivi quarantur a suis Prioribus: de facultate illos deprehendendi, & de penis pro illis puniendis.

Qui sint censendi fugitivi.

Et a quibus ad Monasteria reducendi.

§. 258. Fugitivi Monachi per suos Priores, quam citius commode fieri poterit, perquirantur, & per censuram Ecclesiasticam, vel alias, prout expedire videbitur, ad propria Monasteria redire cogantur, ac eis juxta suorum qualitatem excessuum secundum Constitutiones nostras poenitentia imponatur: nisi forsitan per Generale Capitulum de aliquo Monacho in speciali fuerit aliter ordinatum. Ad hæc: fugitivos cenemus quoslibet Monachos, qui sine suorum Prælatorum licentia ultra metas Monasterii, quas Monachi sine licentia hujusmodi exire non debent, cum voluntate fugiendi, seu aliquid maleficium committendi abscesserint: vel qui ad loca aliqua de suorum Priorum licentia missi, exinde sua auctoritate cum intentione ad Monasterium non revertendi, recesserint. Cæterum universis & singulis Prioribus, ac Monachis nostri Ordinis omnes & singulos fugitivos Professos, cujuscumque nostri sint Monasterii, capiendi, & ad Monasteria, quorum sunt Professi, reducendi, plenariam concedimus potestatem: vel saltem fugitivorum Prioribus, expensis illarum Domorum, quarum illi fugitivi capti, Professi extiterint, notificent de hujusmodi captione: quatenus ad reducendum eisdem captos ad sua Monasteria certos Nuntios mittant: Verum, si alias apparuerit, aut verisimiliter præsumatur, quod Monachi cum sui Prioris licentia a suo Monasterio discesserint, non procedatur via aliqua contra eos. Præterea omnes Ecclesiarum Prælatos, necnon & quacumque alias Personas, jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam quomodolibet obtinentes, aut alias, quæ sequuntur, exercere valentes, quam affectuose possumus, deprecamur in Domino, quatenus ad instantiam seu requisitionem cujuscumque Prioris vel Monachi nostri Ordinis fugitivos hujusmodi capiant, seu capi faciant, & eos Monacho vel Priori requirenti captos tradant, seu illos ad loca vel Personas, quæ vel quas Monachus vel Prior requirens eisdem capientibus explicaverit, expensis Monasteriorum, quorum Professi sunt, mittant, implorato etiam auxilio super prædictis brachii Secularis, quatenus opus sit. Etiam Prælati & Personis supradictis jurisdictionem habentibus, vel alias præmissa exercere valentibus, auctoritate Apostolica nostro Ge-

nerali Capitulo concessa, qua fungimur in hac parte, ad universa & singula supradicta specialem potestatem atque licentiam impartimur. Præterea si ad Sacrum Ordinem quis, dum fuerit fugitivus, promotus extiterit, ad executionem hujusmodi Ordinis, aut ad aliquos actus Capitulares sine Capituli Generalis licentia nullatenus admittatur. Fugitivorum autem Monachorum poena hæc erit: Fugitivus, qui intra quinque dies, a sui recessu numerandos, redierit, per quinque dies statim sequentes poena gravioris culpæ cum disciplina in Refectorio tempore prandii post Benedictionem mensæ mulctetur, eisdem diebus in carcere retrudendus. Si autem post quinque dies, ante diem tamen quadragesimum redeat, ultra prædictam culpæ gravioris poenam, decem diebus carceri mancipetur. Si vero post quadragesima, dum tamen ante annum reversus fuerit, præter jam dictam poenam per dies xi. carcerali reclusioni subiaceat. In quorum singula sexta feria, unam in capitulo culparum sustineat disciplinam: sed si post annum, quandocumque redierit, ultra præstatam poenam carcerem semestri spatio sustinebit in quo singulis sextis feriis in pane & aqua abstineat, & disciplinam in capitulo culparum accipiat: necnon in actibus omnibus tanquam Novitius habeatur, donec per Priorem cum sui consensu Capituli in statum pristinum fuerit restitutus. Circa poenas autem prædictas gravandi, illas præsertim contra illos, qui revertuntur invitati, & super eisdem dispensandi, præmaxime circa illos, qui voluntarie revertuntur, habeat Prior cum Deputatorum consilio, prout eis rationabile visum fuerit, plenariam potestatem. Verum si quisque fuerit secundo fugitivus post debitam reconciliationem per Priorem & Capitulum cum ipso factam, ultra poenas in hac Constitutione, ut præmittitur, designatas, sit semper ultimus omnium Monachorum sui status Clericalis vel Laicalis, quos tempore sui regressus in Monasterio suo repererit, nec ad Confessoris, Vicarii, seu Prioratus officia possit eligi vel assumi, nisi cum eo per Generale Capitulum, & tunc etiam post tres annos a suæ reconciliationis tempore computandos, super dictis officiis fuerit dispensatum. Præterea, si tertio fuerit fugitivus adhuc per suum Priorem & Capitulum, prout præmittitur, reconcitari valebit: Verumtamen præter poenas supradictas, voce Capituli perpetuo sit privatus. Insuper ad prædicta Confessoris, Vicarii & Prioratus officia sit ineligibilis ipso facto. Quoad vocem autem Capituli obtinendam, poterit cum eo per Generale Capitulum faciliter dispensari. Cæterum si quarto fugitivus extiterit, ejus reconciliatio ad Generale Capitulum solummodo pertinebit quoad habilitationem, quam tamen idem Capitulum non debet facere, nisi prius sui Prioris & Conventus bonam informationem habuerit super negotio hujusmodi fugitivi: & tunc Generale Capitulum prædictas poenas, aut etiam alias, prout sibi videbitur, eidem fugitivo imponat, vel eundem ad Monasterium suum remittat, illas passurum ibidem: quod decentius & expedientius extimatur.

Fugitivi si ad Sacros promoveantur Ordines, ad actus Capitulares non admittendi.

Fugitivorum poena.

matur. Poterit etiam Pater Generalis ipsum ad Ordinem recipere, poenarum dispensatione Generali Capitulo reservata. Porro, qui ultra vicem quartam auferit, perpetuo & indispensabiliter poenas inhabilitatis praedictas, & nihilominus poenas alias, si quae illi fuerint in perpetuum vel ad tempus impositae, sustinebit. Fugitivus pro prima vice a voce Capituli sit ipso facto suspensus; tamen possit eadem vox illi restitui per suum Priorem cum consensu Capituli: Pro secunda autem vice similiter sit suspensus a voce Capituli: quae quidem non possit ei restitui, nisi per Patrem Generalem: Pro tertia vero vice sit quoque ab eadem voce Capituli suspensus, quae non valeat sibi restitui nisi dumtaxat per Generale Capitulum.

Extravagans I.

§.259. Fugitivi, qui ad Monasterium residentiae Patris Generalis accesserint, & redierint, disciplinam in Refectorio statim sustineant & in terra panem cum aqua comedant, iterum tertio & amplius, prout culpa postulaverit; reliquas vero poenas in eorum proprio Monasterio, vel in alio, ad quod fuerint transmissi, adimpleant & sustineant. Insuper fugitivus, qui quater ab Ordine discesserit, in carceribus per sex annos recludatur: inde tamen poterit illum Prior ad Chori & Refectorii assistentiam extrahere; reliquo vero tempore iterum carceri mancipetur.

Extravagans II.

§.260. Quilibet Prior nostri Ordinis, aut Vicarius in Prioris absentia, quemcumque Monachum fugitivum ab illis comprehensum, seu quolibet modo ad suum Monasterium reversum & accedentem, ab excommunicationis censura, quam habitum derelinquens incurrit, & a quibusvis aliis censuris, si quas incurrit, absolvere; eidemque per se aut per suos Confessarios omnia Sacramenta libere administrare possint & valeant.

Extravagans III.

§.261. Fugitivis, ad nostra Monasteria sine habitu redeuntibus aut venientibus, non possit habitus noster restitui, nisi a suo Priore vel a P. Generali.

Extravagans IV.

§.262. Quotiescumque Monachus in Sacris constitutus secundum nostrarum Constitutionum & Extravagantium dispositionem vocem Capitularem amittit, videlicet propter tractatus illicitos de electione habitos, & ob fugam; in his casibus Monacho delinquenti in Sacris non constituto auferatur Corona: Fratri vero Laico nexus ad utrumque Scapularis latus in poenam annectantur, atque huiusmodi poenae eodem tempore durabunt, quo privatio vocis Capitularis Monacho in Sacris imposita durare debet.

Extravagans V.

§.263. Inviolabiliter observetur consuetudo nostri Ordinis, videlicet, quod Monachis primo fugitivis non computetur in habitus antiquitate, neque ad vocem in Capitulo habendam, neque ad praecedentiam, neque ad aliquid aliud totum tempus, quo extra Ordinem fugitivi existant, in quo nullatenus dispensari possint. At vero semel & iterum fugitivi aut a nostra Religione expulsi, seu voluntarie licentia debita egressi, cum ad illam reversi fuerint, aliam antiquitatem non fortiantur, nisi a tempore, quo ad Monasterium revertuntur: ita ut sint novissimi omnium Monachorum, quos tempore sui reditus in Monasterio invenerint. Praeterea secundo fugitivi, nisi post duodecim annos a tempore sui regressus ad Monasterium completos, ordinari non possint; & si ordinati jam fuerint, ab exercitio Ordinum dicto tempore sint suspensi. Tertio vero fugitivi in perpetuum non ordinentur, vel ab exercitio Ordinum susceptorum perpetuo suspendantur. Sin vero fuerint Fratres Laici, pro secunda fuga duodecim annis; pro tertia vero perpetuo sub disciplina Magistri Novitiorum indispensabiliter existant.

Extravagans VI.

§.264. Monachi fugitivi, qui aliquid pretii aut valoris a Monasterio ablatum secum portaverint, seu fuga durante illud abstulerint a propriis Monasteriis, perpetuo a Capitulo Generali, si expediens videbitur, eliminari possunt, atque in Monasteriis, ad quae missi fuerint, poena gravioris culpa per annum indispensabiliter puniantur.

Extravagans VII.

§.265. Monachi, qui habitu dimisso ultra quinque vices fugitivi fuerint, incorrigibilium poena puniri debeant: Sin vero fugitivi quicumque, antequam a Monasterii septis egressi fuerint, capiantur, in poenas hujus Constitutionis fugitivis impositas non incurrant, Priorem tamen arbitrio puniri possint.

Extravagans VIII.

§.266. Si, praetextu literarum Apostolicarum ab illo obtentorum, ad Villas vel Oppida Monasteriis circumvicinia aliquis Monachus nostri Ordinis fugitivus cum habitu nostrae vel alterius Religionis aut seculari pervenerit, aut in illis vagari & manere quomodolibet praesumpserit; Priores, Vicarii sive Praesidentes, statim ad Ordinarium dictorum locorum accedant, & nostris Privilegiis utentes ab eo petant, ut fugitivo praecipiat, quod literas Apostolicas coram illo praesentet, praesentataque examinari curent. Et si in examine legitimas ipse Ordinarius non invenerit, sibi ipsis curent fugitivum consignari. Consignatus vero carceri mancipetur, donec Pater Generalis de illo conficius provideat, quod ipsi magis expediens videatur. Sin autem literae Apo-

Fugitivis tempus fuga ad habitus antiquitatem, & vocem non computandum.

Secundo fugitivi non nisi post 12. annos ordinandi.

Poenae contra fugitivos res a Monasteriis abportantes.

Quinquies fugitivi incorrigibilium poena puniendi.

De fugitivis praetextu literarum Apostolicarum.

Fugitivorum, qui ad Monasteria residentiae P. Generalis accesserint, poena.

Poenae item fugitivorum quartum ab Ordine.

Priori facultas datur fugitivos comprehensos, vel redeuntibus a censuris absolvi.

Habitusque restituenti.

Poenae contra propria culpa Capitularem vocem amittentes.

Apostolica legitime reperta fuerint, a dicto Ordinario petant, ut dicto fugitivo praecipiat a circuitu nostrorum Monasteriorum, Villisque & Oppidis ipsis convicinis, recedere, sicut in Privilegiis nostrae Religionis disponitur.

CONSTITUTIO XLIV.

Quod spoliatur habitu nostri Ordinis, qui non fuerit Monachus illius.

§.267. Novitios fugitivos, & quascunque alias personas, quae nostri Ordinis non existent, habitum nostrum portant, quilibet noster Prior vel Monachus, nostro habitu, quo indigne teguntur, expoliare vel expoliari facere possit.

CONSTITUTIO XLV.

De fundatione unionis & destitutione Monasteriorum nostri Ordinis.

§.268. Fundari Monasterium aliquod de novo non valeat per ullam personam nostri Ordinis absque Capituli Generalis vel Diffinitorum omnium licentia speciali, & mandato. Et tunc tale Monasterium sufficientem ad minus pro Priore & duodecim Monachis debet habere dotem, quoniam in minori numero nequit Religio decenter & commodum observari. Hanc fundandi licentiam P. Generalis una cum privato Capitulo intra triennium possunt dare: Sed destitutionem & unionem quorumcumque Monasteriorum nostrorum solummodo Generali Capitulo referamus.

Fundari nequeant unquam, vel destitui Monasteria sine licentia Capit. Gen.

Extravagans I.

§.269. Cum valde expediat, quod Domus novae quae reditus sufficientes & commodam habitationem pro duodecim Monachis & Priore habent, in Monasteria formalia erigantur; Sacra Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium praeposita, Patrem Generalem & Capitulum Generale serio monet, ipsique injungit, quod invigilent super dicta erectione, Visitationibus Generalibus committant, ut de statu praedictarum novarum Domorum informationes capiant, erectionem promoveant; & quando requisita sufficientia concurrant, ipsum Capitulum Generale servatis servandis praedictam erectionem faciat; vel etiam, mediante unione unius cum altera novarum Domorum, prout sibi expedire videbitur, provideat; ad quem effectum reditus & proventus dictarum novarum Domorum extra easdem Domus in alias quascunque causas non distrahantur, exceptis taxis ordinariis vel extraordinariis, quae universo Ordini legitime imponuntur.

Quae requiruntur ad fundandas novas Domus.

Non recipienda alia Monasteria.

Extravagans II.

§.270. Non recipiantur alia Monasteria Monialium, quia ita convenit pro custodia nostrae Sanctae Religionis.

Extravagans III.

§.271. Priores Monasteriorum propinquorum Monasteriis Monialium nostri Ordinis illarum curam habeant; eandemque in eas jurisdictionem exerceant, quam habent in Monachos sui Conventus.

Priores jurisdictionem habeant in Monasteriis, sive Domini propinquoibus.

Extravagans IV.

§.272. Priores Monasteriorum nostrarum Monialium curam habentes, in ea non ingrediantur, nisi causa gravi aut urgenti necessitate moti, & ab illarum Confessario & duobus Monachis ex senioribus comitati, causaque vel necessitate sui ingressus perfecta, statim a clausura exire debeant: Cum vero aliquam Monialem ad habitum vel Professionem recipiunt, huiusmodi receptionem vel professionem per cancellos aut communicatorium peragere teneantur. Nulli praeterea personae cujuscumque status, conditionis, aut sexus existat, licentiam ingrediendi in dicta Monasteria concedant: exceptis Medicis, aliisque necessariis Officialibus, juxta praescriptum in dictis Monialium Constitutionibus.

In ea vices ingrediendi licentiam dare nequeant, ipse quoque nisi gravi de causa non ingrediantur.

Extravagans V.

§.273. Dotes, in ingressu & Professione Monialium receptae, in communi deposito reponantur, & custodiantur sub tribus clavibus, quarum unam habeat, Prior cui Monasterii cura incumbit: alteram Priorissa: & tertiam Depositaria; nullaque quantitas dictae pecuniae inde extrahi possit, nisi ut investiat in fundis immobilibus vel in censibus tuis & fructiferis. Sin vero, propter gravem evidentemque Monasterii necessitatem, aliquam portionem extrahere & consumere necesse fuerit: nullatenus fieri possit, nisi servatis servandis de consensu Prioris & majoris partis Capituli dictarum Monialium, & praecedente licentia Patris Generalis, priusque data cautione reintegrationis pecuniae extrahendae, quam citius fieri possit.

Quid de Monialium Dotibus.

Extravagans VI.

§.274. Moniales nostri Ordinis tribus annis, incluso probationis anno, sub disciplina Magistrae Novitiarum indispensabiliter existant.

Moniales triennio sub disciplina Magistrae Novitiarum.

Extravagans VII.

§.275. Nulla femina in Monasteriis nostrarum Monialium admittatur, sive ad habitum recipienda, sive in iisdem Monasteriis aliquandiu educanda, quin servatis servandis & praecedat consensus Prioris & majoris partis Capituli earumdem Monialium, per suffragia secreta prorsus praestandus.

Quid de Educandis, vel Monacandis.

CONSTITUTIO XLVI.

Quod non ingrediantur Mulieres in nostra Monasteria.

§.276. Nulla foemina stare per magnum spatium ad januam cujuslibet Monasterii nostri, & multo minus intrare in Monasterium, nec intra ejus septa, permittatur. Toleramus tamen consuetudinem nonnullorum Monasteriorum, ubi foeminae Ecclesiam seu Claustrum principale, dum fiunt Processiones, confueverunt intrare, & non aliter; & in hoc dispensare non possit P. Generalis.

CONSTITUTIO XLVII.

Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur.

§.277. Non incedat Monachus equitans in via secularibus ornamentis, sed honestam deferat sellam stapedinis ligni, & habenis canapeis, quae ad adaquandum ferreas habeant catenulas; sed si casus euenit opportunus & utilis, in quo praedictum observari non poterit, Priori relinquatur, secum, & cum Monacho itinerante, dispensatio; & absente Priore ipse, idem Monachus hoc exercere valebit; Super quod conscientias tam Priorum quam Monachorum oneramus.

Extravagans unica.

§.278. Observetur consuetudo inviolabilis Ordinis, videlicet: ut nullus Monachus eat in Curiam Regiam, vel in Cancellarias sine licentia in scriptis Patris Generalis, & dumtaxat ad negotia propria, vel ad sua Monasteria pertinentia; & Monachi ita euntes in Monasteriis residere teneantur, & assistere Missae & Vesperis diebus Dominicis & Festis, & in principalioribus a Priore celebrandis, etiam Matutino. Pariter omnibus diebus a Monasterio non exeant sine expressa licentia Prioris, quae nullatenus concedatur, quando celebratur agitatio taurorum.

CONSTITUTIO XLVIII.

Quod nullus Monachus eat sine licentia ad Capitulum Generale, aut ad Patrem Generalem.

§.279. Missus de uno Monasteriorum nostrorum ad aliud propter sua demerita, durante tempore poenitentiae sibi injunctae, ad Capitulum Generale, aut intra triennium ad Patrem Generalem sine mittentis licentia venire nullatenus permittatur; tamen circa ejus negotium, si fuerit Patri Generali, aut Capitulo Generali propositum, intimetur eidem Monacho voluntas ejusdem Capituli, sive Patris Generalis. Si autem venerit, hujusmodi licentia non obtenta, graviter puniatur, necnon ad Monasterium, de quo discesserit, remittatur. Similiter etiam est graviter puniendus, & ad suum Monasterium re-

mittendus quicumque Monachorum, qui sine debita licentia ad Capitulum Generale, seu intra triennium ad praedictum Patrem Generalem venire praesumpserit.

CONSTITUTIO II.

Quis possit dare licentiam, ut transeat Monachus ad aliud Monasterium, aut ad alium Ordinem.

§.280. Transseundi licentiam de suo Monasterio ad aliud nostri Ordinis, vel ad alium Ordinem strictiorem ob frugem vitae melioris, cuicumque Monacho sui Conventus quilibet noster Prior cum sui consensu Capituli, causa rationabili apparente, possit conferre, cum licentia Patris Generalis, & non aliter. Si vero justa causa Monachum hujusmodi licentiam petentem non moveat, ipsum suus Prior detineat, & a proposito suae levitatis, illum debite puniendo, compescat.

Extravagans I.

§.281. Juxta tenorem Apostolicorum Privilegiolorum, nullus Religiosus Ordinis nostri Professus ad Minorum, & alium quemcumque Ordinem strictiorem, etiam Carthusiensium, etsi bona intentione ductus, sub praetextu quorumcumque Privilegiolorum dictis Ordinibus concessorum, & quarumcumque literarum Apostolicarum, quascumque clausulas, etiam derogatorias derogatarum in se continentium, nisi in literis ipsis expressus consensus Patris Generalis accesserit; & nisi de licentia ejusdem Patris Generalis, petita & obtenta, se transferri possit; alioquin tam recipientes quam recepti excommunicationis sententiam, a qua nisi a Romano Pontifice vel Patre Generali, praeterquam in mortis articulo, absolvi non possunt, eo ipso incurrant. Monacho vero cum debita licentia ad aliud Ordinem transeunti, posteaque ad nostrum revertenti (quod omnino spiritus & animi levitas videtur) imponantur poenitentiae, quae Patri Generali videbuntur debite, habita informatione sui Prioris & Conventus; praeterea ad omnia officia honorifica Ordinis inhabilis maneat; quod si illorum sit incapax, per annum claustrum servet. Qui autem Monachus post Professionem emissam in alio Ordine, ad nostrum redire voluerit, nullatenus recipiatur.

Extravagans II.

§.282. Monachus, qui cum justa causa, & debita licentia, in alio nostri Ordinis Monasterio iterum obedientiam promittit, possit ad usum retinere, & ad secundum Monasterium transportare libros, caeteraque suppellectilia, quae vel adduxit secum a saeculo, vel acquisivit in primo Monasterio; cui dominium & proprietates illorum omnino reservantur, & post dicti Monachi mortem restitui debent. Ut autem dicta restituito fideliter & sine damno neutrius Monasterii fiat, Inventarium de omnibus, quae de primo, ad

Solus P. Generalis licentiam in scriptis dare possit transseundi ad aliud Monasterium, vel Ordinem.

Quae revertenti indigentia sit poenitentiae.

Monachi licentiam ad aliud Monasterium sua Suppellectilia possit transferre.

Quomodo utriusque Monasterii consulendum indemitati.

secundum Monasterium transfert, ante hujusmodi transitum conficiatur, & in utroque Monasterio illius copia conservetur.

Extravagans III.

Quo pacto cum reverentibus agendum.

§.283. Si contingat aliquem Monachum exemptionem ab obedientia nostri Ordinis obtinere, & post illius usum ad Ordinem & suum Monasterium iterum redire, & in eo recipi velle, Pater Generalis nequeat eum admittere sine novo consensu Prioris & Capituli Monasterii suae Professionis. Sic autem receptus in dicto Monasterio, iterum Professionem renovet, aliaque antiquitate non gaudeat, quam a die sui regressus, & secundae receptionis in dicto Monasterio, neque vocem Capitularem habeat nisi post decem annos completos, a dicta secunda receptione praecise computandos.

CONSTITUTIO I.

Sub cujus obedientia stare debeat Monachus, qui vadit ad aliud Monasterium ad tempus vel in perpetuum.

Transseunt ad aliud Monasterium, illius Priori semper subiecti.

§.284. Quicumque de suo Monasterio ad aliud nostri Ordinis per quoscumque mittendi potestatem habentes, qualibet ex causa missus, debet tempore, quo ibidem manserit, sub obedientia & correctione Prioris illius Monasterii, ad quod mittitur, permanere: exceptis casibus permittentem expressis. Verum si perpetuo missus fuerit, praedicto Priori suisque successoribus perpetuam obedientiam reprimatur.

Extravagans I.

Matriti vero committatur: Priori S. Hieronymi.

§.285. Praedicatores Regiae Majestatis aliique Monachi nostri Ordinis, residentes Matriti cum Patente aut ordine Patris Generalis, etiam Ex-Generales, sint subiecti Priori Monasterii Sancti Hieronymi Matriti; & pariter Vicarii, Procuratores, seu Aconomi Monasteriorum Monialium, sint subiecti Patri Priori, cui subduntur Monasteria, quorum sunt Vicarii, aut Procuratores, seu Aconomi.

Extravagans II.

Quid de vestra; ejusque impensis.

§.286. Monachis existentibus in Domibus novis, & Collegiis inclusis Prioribus & Lecturibus, quolibet mense octo regales monete Castellae pro vestiario solvantur; Monachi vero, aliis Monasteriis cum aliquo ministerio inservientes aut in illis aliter commorantes sive cum Patente sive in exilio, vel a dictis Monasteriis vestiantur, prout proprii filii, vel loco vestiarum dictos octo regales quolibet mense ipsis persolvi debeant; si tamen fuerint carceribus mancipati, aut ita impediti, ut vitam communem cum aliis sequi non valeant, propria Monasteria illi, in quo commorantur, quod a Diffinitorio Generali, vel a Patre Generali inter Capitulum & Capitulum, taxatum fuerit, solvere teneantur. Monachi denique in Monasteriis Regiae Curiae,

aut Cancellarium, negotiorum causa residentes, ipsis qualibet die persolvant juxta taxam dicti Diffinitorii Generalis, aut Patris Generalis inter Capitulum & Capitulum.

CONSTITUTIO LI.

Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur, pro recipiendis Sacramentis.

§.287. Quilibet Monachus nostri Ordinis, cum debita licentia per aliquod ipsius Ordinis Monasterium transiens, possit a Priore vel Vicario ipsius Monasterii, seu aliis Monachis ad audiendum Confessiones inibi deputatis, sive ab eo, qui ad hoc sibi fuerit specialiter designatus, etiam si hujusmodi designatus ejusdem Monasterii Professus non fuerit, Ecclesiastica recipere Sacramenta. Itinerantes quoque Priores & Monachi Presbyteri, cum debita licentia incedentes, possint aliis Ordinibus Monachis, ac sibi invicem ministrare Sacramenta Ecclesiastica. Presbyteris autem alterius Ordinis, aut Saecularibus, Monachus absque speciali debitaque licentia confiteri non debet, nisi hujusmodi licentiam petere fuerit oblitus. Habens etiam hujusmodi licentiam, si Monachum Ordinis habeat, cui confiteatur, nequaquam confiteri valeat alterius Ordinis Religioso vel Saeculari.

CONSTITUTIO LIH.

De examine, quod praecedere debet pro ordinandis Monachis. De electione, & obligationibus Collegialium.

§.288. Non promoveatur ad Ordinem Sacrum aliquis Monachorum nostrorum, nisi aequaliter Scripturas Sacras, quas legit, intelligat ad examinationem sui Prioris cum Deputatorum consilio; nec Monachi extra Monasteria Ordinis ad discendum mittantur; circa hoc tamen Pater Generalis poterit ex causa rationabili, prout sibi videbitur, dispensare.

Extravagans I.

§.289. Pater Generalis Monacho Monasteriorum nostri Ordinis ad recipiendos Ordines licentiam non concedat, quin prius habeat informationem a Priore & Deputatis Monasterii, cujus dictus Monachus est Professus, de causa, vel causis, quare ipsi ad Ordines suscipiendos licentiam non concedunt.

Extravagans II.

§.290. Monachi non promoveantur ad Saecros Ordines, donec quartum annum ab Habitu recepto compleverint; nisi aliter ex gravi causa Priori cum consilio Deputatorum videatur faciendum; ita tamen ad Ordines promoveantur, quod post primam Missam cantatam sub disciplina Magistri perseverent, aliquo tempore in rebus ad tantum ministerium necessariis instruendi. Quando vero pro

Monachi pro studiis extra Monasteria Ordinis non mittendi.

Non Ordinandi, nisi pravia Prioris Informatione.

Nec ante quartum ab ingressu in Ordinem annum.